



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae  
aliquot piaë, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

De uirginibus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

non putatis, filius hominis ueniet, I si ad diem iudicij referamus, manifestum est, quia incertus est omnibus & incognitus, sicut ipse dicit in euangelio: De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli in celo, neq; filius hominis, nisi pater solus. Et iterum: Sicut fuit in diebus Noë, sic erit aduentus filij hominis. Et rursum: Sicut fulgur egreditur ab oriente, & penetrat in occidentem, sic erit aduentus filij hominis. Et post suam resurrectionem, querentibus discipulis ait: Non est uestrum nosse tempora & momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Hinc Petrus apostolus dicit: Dies domini sicut fur in nocte, ita ueniet. Sed quod tunc generaliter futurum est omnibus in resurrectione animarum & corporum, quotidie fit singulis animabus. Dum enim non putamus, filius hominis uenit, quando subita morte præuenit, ipsum habemus terminum peccandi, quem & uiuendi. Et dum mala non deserimus, sed a malis deserimur, seram agimus penitentiam, non attendentes illud quod scriptum est: Ne tardes conuerti ad deum, neque differas de die in diem, ne subito ueniat ira eius, & in tempore uindictæ disperdat te.

## DE VIRGINIBVS.

Matth. XIII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit. Et præ gau-

cto illius uadit, & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Et reliqua.

**V**irtus & sapientia dei dominus Iesus Christus, non solum ad suscipiendam humanam naturam, hominibus compati dignatus est, sed etiam humanæ ignorantie condescendens, suis sanctis sermonibus rerum temporalium similitudines frequenter adhibuit, ut ex collatione rerum uisibilium, ad inuisibilem amorem animos audientium incitaret. Vnde cum cælestem gloriam studiose amandam doceret, illarum rerum similitudinem adhibuit, quas homines plurimum diligere solent, dicens: [Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit] Vbi thesauri nomine spiritualiter cælestis patriæ amorē intelligere debemus, ubi sunt diuitiæ quæ non deficiunt, thesaurus qui nunquam marcescit, ubi nos dominus thesaurizare admonet, iuxta quod alibi loquitur, dicens: **Matt. 6.** Thesaurizate uobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. & ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Qui profecto thesaurus tanto magis cumulatur, quanto magis temporalis thesaurus atque facultas studiosius pro deo expenditur. Vnde de eo qui thesaurum inuenit, dicitur. [Et præ gaudiō illius uadit, & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illū.] Ager in quo thesaurus absconditus inuenitur, nos sumus, si tamen in nobis manet cæleste desiderium. Quem ille uenditis omnibus comparat, qui

corpus suum per cælestis patriæ disciplinam affligit in ieiunijs, uigilijs & orationibus. Sed & ille agrum cum thesauro inuento, datis omnibus emit, qui crucifigens membra sua cum uitijs & concupiscentijs, Christū sequitur, & quodammodo spū ali uenundatione seipsum mutat, declinando a malo & faciendo bonum. Hunc enim thesaurum absconditum in agro, cuidam dominus emere persuadebat cum dicebat: Si uis perfectus esse, uade & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & ueni, sequere me. Illud autem notandum, quod thesaurus inuentus, custoditur ut seruetur, quatenus intelligamus quam studiose in bono opere uanam gloriam cauere debeamus. Sic est enim præfens uita quasi uia: latrones autem iuxta uiam, immundi sunt spiritus, qui illis maxime inuidet, quos cum spiritali thesauro ad cælestem patriam tendere cognoscunt, sicut per prophetam de eorum capite dicitur: Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, ut interficiat innocentes. Illorum ergo diuitias isti latrones rapiunt, qui per inanem iactantiam bona sua opera coram hominibus denudant. Vnde necesse est, ut cum opus bonum exterius agimus, inentionem deo placendi semper in occulto teneamus, iuxta quod ipse nos admonet, dicens: Cum facis elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Et iterum: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum: & clauso ostio, ora patrem tuum: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Ad accendendum autem mentem in amorem cælestis desiderij, alia similitudo datur cum subinfertur:

Mat. 19.

Psal. 9.

Mat. 6.  
Ibid.

Iterum simile est regnum caelorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: inuēta autē una preciosa margarita, abiit & uendit omnia quæ habuit, & emit eam.

Vbi preciosæ margaritæ nomine, dulcedo uel claritas æternæ patriæ intelligitur, quæ preciosior est cunctis preciosis rebus, & suauior omnibus delectationibus. Negotiatores autem spiritualiter nos sumus, quod de terrenis facultatibus caelestem gloriam mercari iubemur. Notandum autem quod ait, [uendit omnia quæ habuit, & emit eam.] quia ille preciosam margaritam unam (id est, caelestem patriam) datis omnibus emit, qui non solum terrenis facultatibus, sed etiam proprijs renunciat uoluntatibus. Qui uero sua pauperibus tribuit, sed adhuc proprijs uoluntatibus seruit, preciosam margaritam nondum emit: quia quod carius deo poterat offerre, retinuit. Non enim deus non frustra, sed nos quærit, qui terrenam substantiam non nisi propter lucrum animarum dare præcepit. Quia ergo negotiatori bonas margaritas quærenti, bonis quæ margaritis sumus comparati, seruare debemus in opere quod accepimus in nomine. Et sicut terrenos negotiatores non maris pericula ab officio negociandi prohibent, non latronum insidias terrent, non asperi casus itineris retant, non hyemis frigus, non æstatis calor retinet, tantum ut terrenum lucrum acquirere possint: ita & nos qui spirituales sumus negotiatores, ab amore caelestis patriæ nulla mundi blandimenta retineant, nulla eius aduersitas terreat, nec aliqua tribulatio prohi

- beat, ut preciosam margaritam amantes, cū Apolo dicere ualeamus: Quis ergo nos separabit a
- Rom. 8.** charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum aut quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Imitemur & aliud negotiorum opus. Habent enim hoc proprium hi, qui negociandi operibus insistant, ut si in uno negotio damna incurrerint, studiosius negociandi operibus insistant, quousq; quod in una re perdidderunt, in alia acquirant, ita ergo & nos, si in aliquo casu damnæ animæ inciderimus, studiosius incepto bono operi insistamus, ut quod per negligentiam amissimus, per bonum opus recuperemus, quatenus ad præciosæ margaritæ lucrum peruenire possimus, & uocem domini audire mereamur, dicentis: Euge serue bone & fidelis, quia intra paucos annos in gaudium domini tui. Hæc autem margarita tam chara est, ut nullis terrenis diuitijs possit comparari: tam uilis, ut sola bona uoluntate possit acquiri. Hanc margaritam preciosam multis facultatibus Zachæus comparare studuit, qui cum huius margaritæ largitorem in domo sua suscepisset, præ nimio gaudio dixit: Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si cui aliqd tuli, in quadruplum restituo. Hanc quoque margaritam uidua illa duobus æris minutis, in gazo-

phylacio iactatis, comparauit. Cuius precium ipse testis conscientiae, dominus scilicet, collaudauit, dicens: Amen dico uobis, quia uidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundauit illis, miserunt. hæc uero de penuria sua quod habuit, misit totum uictum suum. Huius margaritæ pulchritudinem beatissima N. cuius hodie festiuam celebramus festiuatatem, multis diuitijs datis cõparauit, quando pro eius amore regni potentiam derelinquens, & thorum regalis matrimonij spernens, ad spontaneam paupertatem se contulit. Vnde sine dubio, quia regis terreni coniugium contempsit, spõsa effecta est regis caelestis: & quæ noluit cum terreno rege regnare in mundo, regnat cum Christo in cælo. Et quia salutationes & officia refugit regalium ministrorum, ministrat nunc cum Christo coniuncta cœtibus angelorum, Et ideo dignum est, ut qui temporalem reginam honore debito ueneramur, hæc dño acceptam reginam deuotis precibus supplicemus, ut quia nos suo exemplo in nomine Christi congregauit, si is nos meritis & orationibus in præsentis uita iucundos efficiat, & in futura acceptos reddat.

Iterum simile est regnum celorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.

Pulchre sagenæ assimilatur ecclesia, quia & piscatori est commissa, & intra rete fidei quotidie homines capit. Sicut enim piscatorum est, cum sagenæ de profundis gurgitibus pisces ad littus trahere.

re, sic quotidie ecclesia per doctrinā predicatorum de turbulenti & amaris gurgitibus mūdi, mentes hominum ad ueram lucem trahere studet. Et quoniam quādiu in p̄senti uita ecclesia cum bonis colligit & malos, recte de eadem sagena subditur:

Quam cum impleta esset, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in uasa sua, malos autem foras miserunt.

Vbi cum boni & mali nominantur, p̄senti temporis ecclesia designatur. Boni em̄ soli nusquam sunt nisi in celo: mali autem nusquam soli sunt, nisi in inferno. Hec autē ecclesia quæ in medio consistit, utriusq; patrię ciues recipit, sicut per Psalmi

Psal. 39.

stam dicitur. Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. ¶ Vbi cōsiderandum ē, quia super numerum electorum modo in ecclesiā multi reprobī intrare possunt, sed in regnum celorum non possunt, unde & benedicuntur. [Elegerunt bonos in uasa sua, malos autem foras miserunt.] In quibus uerbis manifeste discretio electorum & reproborum, in fine seculi futura esse ostenditur. Sicut enim mare, seculum: sic litus maris, finē significat seculi. In littore em̄ sedētes, [elegerunt bonos in uasa sua, malos autem foras miserunt,] quoniam in fine seculi electi assumuntur ad gloriā, & reprobī separabuntur ad p̄nā, iuxta q̄d alibi dñs ait in euangelio: In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur & unus relinquetur: Vñ & exponens dominus similitudinem, adiunxit:

Luc. 17.

Mat. 24.

Sicerit in consummatione seculi. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iusto-



rum, & mittent eos in caminū ignis; ibi erit  
 fletus & stridor dentium.] Hoc est quod dñs alibi in  
 euāgelio dicit, Mittet filius hominis angelus suos, **Mar. 13.**  
 & colligent de regno eius omnia scandala: Et itē  
 de zizanijs que inimicus homo super seminauit tri- **Mat. 13.**  
 tico, interrogatus ait: Sinite utraq; crescere usq; ad  
 messem. & in tēpore messis dicā messoribus. Colli-  
 gite primum zizania & alligate ea in fasciculos ad  
 comburendum, triticum autem cōgregate in hor- **Mat. 25.**  
 reū meum. Id ipsum est quod alibi dicitur a dño:  
 Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ,  
 congregabūtur ante eū oēs gentes, & separabit eos  
 ab inuicē, sicut pastor segregat oues ab hōdis &c.  
 In eo autē quod subiungit. [Ibi erit fletus & stri-  
 dor dentium,] manifeste qualitas pœnarum descri-  
 bitur. Oculi enim præ nimio fumo fluere lachry-  
 mas solent, dentes uehementi frigore stridescere.  
 Cum uero ait. [Ibi erit fletus & stridor dentium,]  
 ostendit quia reprobi in gehenna & frigus intole-  
 rabile, & calorē inestimabile sustinebunt, iuxta il- **Iob. 24.**  
 lud quod per beatum Iob dicitur: Ad calorem ni-  
 mium transibunt ab aquis niuium. & usq; ad inse-  
 ros peccatum illius. obliuiscatur ei⁹ misericordia,  
 dulcedo illius uermis. Finita autem similitudine,  
 de eius intellectu saluator discipulos requirit, ostē-  
 dens pijs magistris, ut alios possint erudire, ali-  
 quando interrogare debere. Ait enim: e

Intellexistis hæc omnia?

illisq; dicentibus, [etiam] de profectu illorum  
 gloriabatur, dicens:

Ideo ois scriba doctus in regno caeloru, simi

lis est homini patrifamilias, q̄ profert de thesauro suo noua & uetera.

Quod specialiter ad apostolos pertinere, ex eo manifestum est, quod homini patrifamilias comparantur, proferenti de thesauro noua & uetera. Si enim per noua & uetera uetus & nouū testamentum accipimus, Abraam & Moysen ceterosq; patres, qui ante domini aduentum fuerunt, noua cū ueteribus nō protulisse cognoscimus: quia eisi noua narrauerunt, domini tamen incarnationem nouam corporalibus oculis uon uiderunt, sicut ipse discipulis suis ait: Multi reges & prophete uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & nō uiderunt & audire quæ auditis, & non audierūt, Apostoli autem noua & uetera spiritualiter intellexerunt, & noua corporalibus oculis uiderunt. Quibus ipse ait: **Lu. 10.** **Mat. 13.** **Ioh. 13.** Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicē, siue aliter: Vetera ad pœnam, noua pertinent ad gloriam. Vetustum enim erat homini, post peccatum ire ad pœnam, cui aliquid nouum per redemptoris aduentū contrigit, quando bene operatibus gloria est repromissa. Cum ergo dominus discipulos collaudat dicens, [ Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera, ] ostendit hunc ordinem doctoribus in prædicatione seruandum, ut uetera proferant de terrore supplicij, & noua de promissione præmij. Quod in huius lectionis serie suo exemplo dominus ostendit, cum in prioribus similitudinibus incitauit ad præmium, & in sequentibus comminatur suppli-

cium, ostendens (ut dictum est) doctoribus, quia sic bene operantibus debent promittere gloriam, ut non cessent peccantibus comminari pœnam. Quod etiam in lege figurate ostendit, quando per Moysen tale præceptum dedit, dicens: Non accipi Deu. 24 es loco pignoris superiorem & inferiorem molam, quia apposuit tibi animam suam. Superior enim & inferior mola, spes & timor accipitur. Quasi enim a debitori dicitur pignus accipimus, cum confessionem peccatoris accipimus. Cuius pœnitenti spem non reponimus, ueniam negamus, superiorem molam tollimus. Si autem peccatori securitatem damus, inferiorem abstrahimus. Sed utrunque obseruandum est, ut sic pœnitentibus promittamus ueniam, quatenus in peccato perseverantibus comminemur pœnam, ut quos non prouocant ad bene agendum præmia promissa, saltem denunciata terreat supplicia. Tu autem domine miserere nostri.

SERMO DE CONFES-  
sione Iesu ad patrem, & de iugieius suauitate, & oneris leuitate.

Matthæi XI.

In illo tempore Respondens Iesus, dixit Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus. Et reliqua.

**I**N fronte huius lectionis euangelicæ questio iuboritur, cum nec superius, nec inferius describatur, quod aliquis eum interrogasset. Legimus